

dente Sale Volatili paretur; incidentia porrò adhuc sunt: Decoctæ Lignorum è ligno Guajaco, ejusqve Corticibus, sassafras, Lig. Juniperini, R. sarsaparil. R. Chine, Enula, herbis quoq; incidentibus, Melissæ, Rorismarini salviæ, serpelli &c. parata. Adduntur pro Circumstantiarum ratione Veronica, Chamedrios, semina Carminativa & plura; huic scopo ulterius etiam diluentia inserviunt, ut viscidii particulæ eò melius disjungi queant, ob rationem in §. Vto indigitatam; hinc nec Potus Aqvæ calidæ dissuadendus, nec Thee & Coffee infusum ob egregium, quo partim gaudent, Sal volatile, prohibendum; emollit enim simul & acrimoniam obtundit, unde à potū Coffee, Mulieres in Menstrui viscidii & nigri fluxu diffici, magnum expectant præsidium, quibus continuato Uso digestiva, præprimis volatilia propinari possunt, ut attenuetur & resolvatur Visciditas. Si vero Acidum seu Austerum adesse sentias, Chalybeata sive Martialia convenientiunt, in Morbis præprimis Chronicis & qui Cachexiam minantur; sed absit Tinct. Martis acido quodam Menstruo parata.

§. 24.

Ab his itaqve ad Bezoardica, Alexiteria, Antidota, spirituosa seu sulphurea & Balsamica confugimus, qvæ destruunt Viscidum in sanguine depositum; pravum qvod adest mialma mitigatur per Paragorica & Anodyna, Peregrinum suppressunt ætherem & laudabilem advehunt Cardiaca, Theriacalia scilicet & omnia illa Medicamenta, quæ à natura & arte majorem acceperunt perfectionem, qvā magis disposita pro æthere sanguini nostro in statu naturali convenientissimo recipiendo, existunt. Jam si illud obtainuerimus, ut Viscidum in minimas particulas disruptum, resolutum & attenuatum sit, ad vias in ambitu Corporis respiciendum erit, qvæ si occlusæ, per diaphoretica, ex Antimonio ejusq; Regule Præparata, Cinnabarinæ (disrumpendi, edulcorandi & aperiendi vim habentia,) Diuretica quoqve & sudorifera alia, ut hic simul materia peccans eliminetur, succurrimus.

§. 25.

Qvodsi Viscidum in duritiem lapideam concrescat, ut in Renibus & vesica, antinephritica & Lithontriptica, aliis calculum frangentia, sed perperam, dicta, convenientiunt; sunt vero illa, Juniperina

C 3

perina